DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

Praeſagiis ex oculis in morbis acutis et chronicis.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
Praeſagiis ex oculis in morbis acutis et chronicis:

QUAM

ANNUENTE DEO O. M.

EX AUCTORITATE REVERENDI VIRI

D. GULIELMI WISHART S. T. D. ACAD. EDIN. PRAEF.
NEC NON AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO
PRO GRADU DOCTORATUS SUMMISQUE IN MEDICINA

HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE AC LEGITIME
CONSEQUENDIS ERUDITORUM EXAMINI SUMMITTIT

PHILIPPUS BROWN SCOTO-BRITANNUS.

A. D. III. NON. JUL. HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI,

Apud T. et W. Ruddimannos. M.DCC.L.

NOBILI PARI

FRATRUM

RICHARDO, et CAROLO JOHNSTONE,

SALUTEM, DECUS, OPTIMOSQUE IN REPUBLICA HONORES, OPTAT

PHILIPPUS BROWN.

Inſignis benevolentiae, et benignitatis, ab illuſtriſſima, et nobiliſſima veſtra matre ANNANDIAE MARCHIONISSA, *omni virtute praeclara, in me accumulatae, gratum memoremque animum, ſemper praeſtabo. Accipite, illuſtriſſimi fratres, hoc grati mei animi teſtimonium; valete, rei literariae fautores ſemper adeſte. Dat. Edin. a. d. III. Non. Jul. MDCCL.*

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

Præſagiis ex oculis in morbis acutis & chronicis.

§ I. QUIBUS in febre acuta, lachrymae involuntariæ fluunt, ſi oculi doleant, & ſplendores iis obverſentur, ſi rubeant, aut ſi eorum acies hebeat, cum dolore pungente naſi, rubedine malarum, & gravitate capitis, caeteris non exitialiter ſe habentibus, profluvium ſanguinis e naribus praeſagitur.

Omnia haec ſymptomata non immerito inter criticas perturbationes enumerantur; febris enim ſecundum accuratiſſimum SYDENHAMUM, nihil aliud eſt quam id conamen naturae, quo, partes impuras a reliquis ſeparare nititur: in hoc vero conamine, aliorum ſymptomatum acceſſio ſemper adeſt, et ut GALENUS [a] optime dixit, " Omnino enim fit aliqua novitas " quando criſis futura eſt, vel circa reſpirationem, vel circa " mentem, vel auditum, vel viſum, vel ferendi facilitatem, " vel circa aliquod eorum quae jam diximus, quae ſane uno " nomine ſummatim judiciaria ſymptomata et ſigna appellantur." Nec ſane juſta lege haecce critica vel judiciaria nominari merentur, ſi ante quartum diem eveniant; rariſſime enim

A bonum

§ I. Hip. coac. praenot. p. 134. No. 194.—195. Foeſ. Galen. de criſ. lib. iii. cap. xi. p. 448. Charter. Hip. de morb. vulg. lib. i. Sect. vii. p. 31. praedict.. p. 91. de morb. vulg. lib. i. Sect. vii. p. 22. Actuar. de M. M. lib. ii. cap. ii. de agn. judic. p. 174. Ætius tetrab. ii. ſerm. i. cap. xlviii. de erup. ſang. e narib. præn.

[a] *De Criſib. lib. 3. cap. 10. edit. charter.*

bonum prae ſe ferunt, ſed malum fere ſemper, teſtante ipſo HIPPOCRATE, morborum accuratiſſimo obſervatore, in *coacis* praenotionibus, ſententia 133. ſic ſe habet; " ſanguinis e naribus fluxus in febre ardente, quarto die obveniens malo eſt, niſi aliud quippiam bene acciderit; quod ſi die quinto contingat, minus adfert periculi. Et iterum in *lib.* II. *Epidemiôn, p.* 108. Sanguinis e naribus eruptiones, quae quarto die fiunt, " difficilem faciunt judicationem." Materia enim morboſa tunc temporis vix ita praeparatur, ut apta omnino fiat e corpore eliminari, et experientia quoque compertum habemus, criſes febrium acutarum rariſſime ante quartum diem, vel quo quarto die evenire. Ratio vero in tenebris eſt, et fateor equidem a nobis vix explicari poſſe, de lethali eventu fluxus ſanguinis parci e naribus, paſſim ex *Epidemiôn* libris colligi poteſt, uti apparet ex hiſtoria [a] PHILISCI febre acuta laborantis, quinto enim die circa meridiem, parum ſanguinis e naribus ſtillavit, circa noctem deliravit, mane poſtea vox defecit, et ſexto animam reddidit. Et DROMEADAE uxoris [b] quae poſtquam filium peperiſſet in febrem incidit, quarto die paululum ſanguinis e naribus ſtillavit, quinto et ſexto deliravit, et convulſa moriebatur. Et cujuſdem in DEALCIS hortis [c] decumbentis febre correpti, cui poſtridie parum ſanguinis e nare ſiniſtra ſtillavit, ut etiam quarto die eveniebat, circa noctem deliravit, nec judicatus erat morbus ante quadrageſimum diem; ſanguis enim in hoc caſu, tam viſcidus eſſe videtur, ut larga quantitate, vel per fines arteriarum, vel per latera earum rupta, in debita quantitate, minime tranſire poſſit, ſed coagulatur quamprimum in auras emittitur,

[a] *Vide aeger primus epidem. lib.* 1. *Sect.* 7. *p.* 41. 42. *edit. Foeſ.*
[b] *Aeg. undecim. lib.* 1. *p.* 64. *epidem.*
[c] *Aeg. tertius. lib.* 3. *p.* 150. *epidem.*

mittitur ; oſtendit enim viſcidum ſtatum ſanguinis, et quandam aptitudinem ad obſtructiones formandas : tamen obſervari quoque meretur, parcum ſanguinis e naribus ſtillicidium, ſuccedente larga haemorrhagia, non tam periculoſum eſſe, uti apparet ex hiſtoria [a] *Metonis*, febre laborantis ; bis enim quarto die paucae ſanguinis guttulae e nare dextra ſtillarunt, quinto vero, ſuccedente larga haemorrhagia, ſudor oriebatur et judicatus erat ; largus vero ſanguinis fluxus, primo die, eoſdem fere praeſtat effectus ac larga ſanguinis miſſio, in corpore plethorico febre detento, vaſa enim ſanguine turgida, vix ſeſe contrahere poſſunt, et dum vaſa majora ſanguine plena ſunt, vaſa lateralia comprimunt : hinc ſudor, rariſſime in talibus aegrotis emanat, antequam ſanguinis quantitas minuitur, uti apparet in hiſtoria [b] *Periclis Abderae*, quem febris acuta prehendit, dolore cum gravitate capitis, et lienis, laborabat, primo die ſanguis multus, e nare ſiniſtra profluxit, et febris intenſior evadebat, quarto, copioſo ſudore per totum corpus oborto, a febre judicatus erat.

Non poſſum vero non confiteri, quin ſaepiſſime haemorrhagia e naribus accidat, hiſce ſymptomatibus haud comitata, uti in aegrotis jam memoratis ; minime vero critica erat, ſed tantummodo effectus morbi in pejus ruentis ; ubi vero materies morboſa ita concoquitur, ut facile e corpore eliminari poſſit, tum haecce ſymptomata plus minuſve aegrum afficiunt.

Cauſae lachrymarum involuntariarum variae ſunt, ſanguine enim majori copia, per ramos arteriae carotidis externae, ad glandulam innominatam miſſo, major erit lachrymarum ſecretio ; quantitas enim liquidi ſecreti, caeteris paribus, quantitati

[a] *Aeg. ſeptim. epidem. lib.* 1. *Sect.* 7. *p.* 59.
[b] *Aeg. ſext. epidem. lib.* 3. *p.* 188.

tati ſanguinis ad glandulam miſſi, proportionalis ſemper invenitur. Per ſympathiam quoque nervorum cauſa ſolvi poteſt, ſciz. ob conjunctionem duorum ramulorum paris quinti cum ſexto, primus enim ramulus paris quinti nervorum cum ſexto, in tranſitu ejus per foramen lacerum, ad orbitas, conjungitur, et non ſolum naſo et oculo diſtribuitur, ſed ramuſculum quoque glandulae innominatae emittit. Natura vero per haemorrhagiam narium, corpus e morbo liberare nitente, vaſa arterioſa naſi, per oſſa cribriformia expanſa, ſanguine diſtenduntur: hinc diſtractio fibrillarum nervoſarum, continuoque aucta, ob velociorem verſus has partes ſanguinis motum, hinc dolor naſi pungens; ab hac vero diſtractione, nervoſae fibrillae rami ophthalmici paris quinti, in conſenſum ducuntur, glandula lachrymalis afficitur, et majore copia lachrymae ſecernuntur; communicatione vero paris tertii cum quinto, per conſenſum, ſpaſmodica contractio, muſculis oculorum rectis conciliatur; unde glandulae innominatae compreſſio, et lachrymarum aucta ſecretio; omnibus quippe patet, ſecretionem glandularem, motu muſculari multum augeri.

Ab eodem fonte dolor oculorum oritur, par enim tertium nervorum oculo donatum, pari quinto communicationem quamdam habet.

Viſus hebetatio, et rubor oculorum, pendent a vaſculis oculorum ſanguine turgidis; hinc fibrillae retinae fortaſſe comprimuntur, et acceſſio, vel impreſſio lucis radiorum impeditur, nec latebit cauſa *rubedinis* faciei, et *gravitatis capitis*, ſi modo conſideremus ramos omnes arteriarum carotidum, ſanguine diſtentos eſſe. De veritate hujus aphoriſmi neutiquam dubitandum, multi enim auctores, in re medica ad ultimos honores evecti, doctrina et facundia maxime inſignes, teſtimonia ſua huic

de-

dedere, et GALENUS [a] ſimiliter huic aphoriſmo fidem fecit. Ad juvenem Romanum febre laborantem accerſitus, cum multis aliis medicis, de ſanguinis miſſionis neceſſitate, orta eſt lis; omnes medici, GALENO excepto, uno ore approbationem dedere; GALENUS quippe, diligenter ſignis eruptionis ſanguinis e naribus perpenſis, ab HIPPOCRATE traditis, inveniens in dextra naſi parte uſque ad malas, obſcuram rubedinem continuo augentem, aegro in naſum immiſſo digito, tumque dicente ſe rubrum ſerpentem ex tegulis irrepentem vidiſſe, criticam haemorrhagiam praeſagiebat: fauſtus hujus praeſagii eventus, magnum honorem GALENO, caeteris vero medicis ignominiam, conciliavit; et HIPPOCRATES, in libro praenotionum [b], ſic ſe habet: "Quibus in febre non lethali caput dolet, et viſus hebetudo "contingit, vibranteſque ſplendores obverſari videntur, et pro "oris ventriculi morſu, in praecordiorum dextra, aut ſiniſtra "parte, contentio quaedam, neque cum dolore, neque cum "inflammatione oboritur, iis pro vomitu, ſanguinis e naribus "profluvium exſpectandum."

§ II. LAchrymae vero involuntariae, cum ſumma debilitate, abſentibus haemorrhagiae ſignis, in § 1. memoratis, ſemper malum denunciant.

Lachrymae voluntariae, caeteris bene ſe habentibus, bonum.

Hoc phaenomenon ab alia cauſa oriri videtur, et ſemper ma-

B lum

[a] *Praenot. liber ad poſthumum, cap.* 12. *tom.* 8. *Charter.*

[b] *Sect.* 2. *p.* 13.

§. II. Hip. de morb. vulg. lib. 1. p. 31. Aph. 52. ſect. iv. Actuar. de M. M. lib. ii. cap. iii. de ſign. p. 176.

lum praeſagium praebet; corpore enim morbi vi debilitato, vaſa minora, contractili ſua qualitate penitus deſtituuntur : hinc liquores ſua ſponte quaſi emanant, ab univerſo relaxationis ſtatu, in corpore tunc temporis exiſtente; (hinc cauſa ſudoris viſcoſi circa mortem, excreti; hinc quoque apparet ratio, cur foecum, urinaeque emiſſio involuntaria, in morbis acutis, tam funeſtum praebet omen) uti apparet in DEALCIS uxore [c] in *Thaſo*, febre acuta laborante, quae cum per totum morbum floccos legebat, et lachrymas fundebat, vigeſimo extincta eſt. Lachrymae contra voluntariae, ab HIPPOCRATE, bonae ſemper habentur; ſed non aequa lege per totum morbi decurſum, bonum praeſagium ferunt; corpore haud multum debilitato, felicem eventum fortaſſe praeſagire poſſint; functiones enim mentis a morbo intactas, quae in morbis acutis maximi momenti ſunt, indicant : nonne vero ſaepe vidimus, dum cara amoris pignora aſpiciant, lachrymas moribundos fundere? Et quis talia videndo temperet a lachrymis!

§ III. QUibus in febre acuta, oculi ſunt inſtabiles, feroces, truculenti, valde rubri, et ſi eorum acies hebeſcat, delirium portenditur.

Hic loci tantummodo agitur de delirio, ut febris ſymptomate, a phrenitide, in gradu maxime diverſo, licet delirium ferox, ad phrenitidis naturam, quam multum accedat; hanc fortaſſe diſtinctionem agnoſcit ſolam, ut ſciz. illud, febris plerumque ſit effectus, haec vero, cauſa efficiens; hoc ſymptoma a violento ſanguinis motu oriri videtur, unde mens in ſede propria turbatur,

[c] *Hip. de morb. vulg. lib.* 3. *aeger.* 15. *p.* 202.

§ III. Hip. de morb. vulg. lib. vi. Sect. vii. N°. 19. p. 258. Senert. cap. vi. p. 84. Tom. iii.

tur, et falſa rerum repraeſentamina, per phantaſiam judicio objiciuntur: hinc ideae ab externis objectis ortae, in harmoniam, ordinem et proportionem, minime aggregantur; a qua cauſa haec mutatio pendeat, fateor equidem me plane neſcire. An vero haec originem ſuam, ſuperficiei nervi laeſae, an et ipſi cerebro debeat, non tam facile ſolvi poteſt; ſi a ſuperficie nervi laeſa, tunc objecta externa, falſo menti repraeſentantur; hinc delirare poteſt homo, circa res externas, tamen quoad puras cogitationes, non ab externis cauſis pendentes, adhuc ſapere; cerebro vero ipſo affecto, ferox, et perpetuum aderit delirium, nec de rebus externis, vel internis judicare poteſt; unde omnes functiones, in ſuis actionibus turbantur, et aeger tunc temporis, vitae in diſcrimine haud levi verſari ſolet; hinc medici prudentiores, huic ſymptomati debellando, totis viribus incumbunt; licet vero, ut jam dixi, delirium, a violentiore ſanguinis motu, ortum duxiſſe videtur, ab alia tamen cauſa oriri poteſt; bilis enim circa praecordia haerens, delirium incitare valet, evacuata vero bile, ſaepiſſime delirium ceſſat; nervis enim ſtomachi, materia bilioſa, irritatis, ingrata ſenſatio ad ſenſorium delata, functiones ejus, mirum in modum turbat, et delirium producit, ut apparet in *Sileno* [a] qui in *Platamone* habitabat, febre laborante, ſecundo die deliravit, quod uſque ad quintum manſit; materiam bilioſam per anum evacuabat, et ad ſe rediit; et in muliere [b], quae in littore decumbebat, deliravit enim ad quintum diem, paululum vero ob ejectionem alvi bilioſam ceſſavit; rediit brevi febris, et quarto decimo die, vomitione bilioſa, judicari viſa eſt; huc quoque ſpectare videtur hiſtoria filii

[a] *Hip. de morb. vulg. lib.* 1. *aeger ſecundus.*
[b] *Hip. de morb. vulg. lib.* 1. *aeg.* 13. *p.* 67.

filii HERMOPHILI [c], deliravit, et vox defecit, immiſſa penna in os, bilem atram vomitione rejecit.

Ubi vero delirium, a motu ſanguinis violentiori oritur, diverſa methodus requiritur; a quacunque autem cauſa oritur, ad felicem morbi curationem, magnopere conducit, ejus acceſſionem praedicere, cujus ſigna, ubique per volumina HIPPOCRATICA diſſeminantur, et hic loci in aphoriſmum rediguntur. Irregularis hicce oculorum motus, immediate pendet a cerebro ipſo laeſo; hinc inordinatus liquidi nervoſi influxus, in organa motibus oculorum inſervientia; muſculis enim trochlearibus, par quartum nervorum diſtribuitur, ſic quoque motor oculorum, vel par tertium aliis oculi muſculis diſtribuitur: hinc omnia ea, quae ſua natura, liberum mentis impulſum, hiſce organis quodammodo impediunt, delirii cauſae facile agnoſcuntur, ut in febribus ardentibus apparet, et ſaepiſſime in violento tertianae paroxyſmo, quo, tam valide agitatur ſanguis, ut functiones mentis exinde turbatae ſint, et convulſiones, atque deliria producantur; delirium vero tertio, quarto vel nono die ſuperveniens, cum oculorum perverſione, ſecundum ſymptomata quibus ſtipatur, vel morbi judicationem, vel mortem praeſagit, ut ex hiſtoria mulieris [d] apparet, quae foetu per abortum edito, febricitavit, quarto enim die, mens emota erat, dexter oculus perverſus, cum ſumma animi aegritudine, parteſque extremae, frigidae evaſerunt, ſeptimo moriebatur; et qui in Dealcis horto [e] decumbebat, febreque laborabat, nono die deliravit, dexter oculus perverſus erat, undecimo die, imperfecta criſe, febre liberatus eſt.

Oculi

[c] *De morb. vulg. lib* 5. *aeger* 40. *p.* 244.
[d] *Hip. lib.* 3. *epidem. p.* 164.
[e] *Idem, aeger* 3. *p.* 150.

Oculi truculenti, feroces et rubri, et viſus hebetudo, a ſanguine, magna velocitate in vaſa minora, vi febris impulſo, oriuntur; hinc ſpaſmi in muſculis oculorum; hebetque viſus, ob liberum commercium, ſenſorio communi valde impeditum.

§ IV. SI in febre acuta non lethali, vertigo adſit, et oculi caligine obducantur, et flava pallidaque cerni videantur, et labrum inferius agitetur, criſis per vomitum praeſagitur, præcipue ſi nulla haemorrhagiae ſigna per nares adſint.

Omnia haec ſymptomata per conſenſum vel ſympathiam nervorum ſolvenda ſunt, ſed ut in aphoriſmo jam memorato, ſigna haemorrhagiae abeſſe debent; certiores enim hujus vomitionis bilioſae ſumus, ſi cum nauſea multoque tenuis ſalivae ſputo, morſus ventriculi adſit, ab acrimonia ſciz. materiae bilioſae huc congeſtae; de hac vomitione tanquam critica non tam certi ſumus, quamvis GALENUS [a] ait hic loci, HIPPOCRATEM de ſignis vomitionis criticae tractaſſe; tamen confitendum eſt, talem vomitionem hiſce ſignis praecurrentibus, ſaepiſſime accidiſſe, in febre intermittente tertiana, praecipue corpori ultra trigeſimum quintum aetatis annum evecto, et tempore aeſtivo; in hoc enim morbo multa bile praecordia ſaepe obruuntur, quae vi morbi, et calore loci acrior redditur: hinc ventriculum ad dejectionem ſtimulat; ſed quibus cauſis varia

C haec

§ IV. Hip. praenot. ſect. ii. p. 13. N°. 7. vid. comment. Galen. p. 680, 681. tom. viii. Charter. Actuar. de M. M. lib. ii. cap. 2. de agn. judic. AEtius Tatrab. ii. ſerm. i. cap. xlviii. Galen. de criſib. lib. iii. cap. ii. p. 448. Charter.

[a] *Comm. Galen. in Hip. progn. ſent.* 30. *p.* 681. *Charter.*

haec oculorum phaenomena ſuas origines debent, haud ſatis compertum habeo; per nullas explicari poſſunt, niſi per univerſum iſtum conſenſum, qui inter nervos communicantes obtinere invenitur; ventriculus enim ramulos paris octavi accipit, qui intercoſtali quoque communicant; intercoſtalis vero vel ramulum a pari ſexto accipit, vel a magno ejus ganglione ramum pari ſexto conjungendum emittit; in eo vero loco, ubi haec conjunctio nervorum efficitur, apud anatomicos magna diſputatio orta eſt, de communicatione quadam, nervi intercoſtalis cum ramulo ophthalmico paris quinti; ab aliis negatur, dum caeteri ejus exiſtentiam credunt; ſed quomodocunque ſit, communicatio talis adeſt, ut hi effectus facile produci queant; nam deſciſſo nervo intercoſtali, oculi deteriores, lachrymis vix amplius irrorati, pupilla contracta, et oculus ipſe minor evaſit, qnomodo vero objecta flava cernantur, haud tam facile explicatu; Galeno, aliiſque auctoribus antiquis, vix aſſentire poſſum, quod ſciz. vaporibus nigris aduſtis, atque cerebro allatis debetur. Rationi minime incongruum eſſe mihi videtur, virtutem quamdam communicativam nervis ſtomachi inſitam ſupponere, cerebroque ideas quaſdam earum rerum, quae ſtomacho inſunt, afferri admodum probabile videtur; nam per ſenſum tactorium, corpora quoad formas explorare poſſumus; ſic vis haecce ſenſitiva ventriculo, inteſtiniſque donata, tantummodo modificatio tactorii ſenſus eſſe videtur; non nego equidem, quin aliquando hominum ſanguis bile adeo onerari poſſit, ut humores oculorum flavo colore tingat; hinc objecta flava cernuntur; et tenebricoſitas iſta, a quadam inſenſilitate, nervo optico vel retinae obducta, oriri poteſt.

§ V. Quibus

§ V. QUibus in febre acuta, oculi fixi, immobiles, caligine obducti ſunt, non videntes, vel ad externum objectum aegre vertentes, apertis dormientibus palpebris, malum omen praebent.

Summa debilitas in omni morbo acuto, ſemper lethalis evadit; medicamenta enim optima tunc temporis nihil proſunt; ſola vero intentio medicamenta propinandi, eſt morbos debellare, vel vires vitae ſuſtentare; in morbis enim curandis, natura ſola opifex eſt, et nihil aliud facit medicus, quam naturae miniſtrare: hinc vero cognitio omnium ſignorum, quibus naturam victricem evadere judicare poſſimus, artis *Apollineae* fauſtae, felicique praxi apprime neceſſaria eſt. Phaenomenis autem iſtis, in texto recitatis, apparentibus, ſumma cum ratione aegrum haud levi periculo verſari judicamus. Origines ſuas integrae fere liquidi nervoſi influxus abolitioni, in muſculis oculos moventibus debere videntur; hinc incapaces imperio mentis obtemperare redduntur, quae a duabus cauſis oriri poteſt, vel primo, a defectu principii agentis, inter corpus et animam; vel ſecundo, ab univerſae corporis ſtucturae ruina; quomodocunque vero fit, naturam morbo ſuccumbere patet, diverſiſque corporis actionibus haud amplius inſervire poſſe.

Defectus viſus in hoc caſu, vel a compreſſione nervi optici, vel ab ejus incapacitate, idearum per viſum, cauſas ſenſorio afferendi oritur.

Palpebrae apertae in ſomno, ſemper malo omine habentur, oritur enim ab impedito liquidi nervoſi influxu in muſculos palpebras

§ V. Hip. coac. praenot. No. 227. p. 140. Praedict. lib. i. No 46. p. 50. Coac. praenot. ſect. ii. p. 140. No. 225. de morb. vulg. lib. 6. ſect. vii. No. 16. p. 257.

pebras occludentes; hinc cartilagines palpebrarum, vel tarſi ſua elaſticitate ſurſum elevantur, in morituris maxime obſervabile, et ubique per libros epidemiôn haec ſigna occurrunt, morte ſemper comitante; pulchra enim [a] NERAEI filia ex capitis contuſione in febrem incidit, ſeptimo die oculus ſtupefactus, nono, mortua eſt.

[b] CHARTADA febre ardente laborabat, et paulo ante mortem defixos habuit oculos.

[c] THEODORI conjunx febre cum dolore lateris laboravit, quinto die oculi inſtar dilaſſatae, non niſi cum negotio ſuſpiciebat, et oculos circumferebat; ſexto, oculi demiſſi, ad inferiorem palpebram magis incumbentes, intente rigidi, apertis dormivit palpebris; ſeptimo moriebatur. Huc quoque ſpectat artis medicae antiſtitis ſententia [d], "in febre non intermittente, ſi labrum, aut ſupercilium, aut oculus, aut naſus, pervertatur, ſi non videat, non audiat, imbecillo jam corpore; quicquid ex his evenerit, in propinquo mors eſt.

§ VI. IN febre ardente, oculi lucem refugientes, intenſe rubri, involuntariis lachrymis irrorati, venulis nigris in albo referti, et ſi omnia maculoſa, vel per nebulam quaſi reſpiciantur, phrenitidem ſymptomaticam, vel delirium portendunt.

Omnia haec phaenomena, ſuas origines debent velociori ſanguinis

a *Hip. de morb. vulg. lib. 6. ſect. 7. p. 246.*
b *Hip. de morb. vulg. lib. 7. ſect. 7. p. 308.*
c *Ibid. p. 312.*
d *Aph. 49, lib. 3.*
§ VI. Hip. Coac. praenot. No. 218. p. 138. Celſus lib. ii. cap. vi. Alex. Tralianus de arte medica, lib. 1. cap. xii. p. 4.

guinis motui per vaſa minora; hinc plexus retinae arterioſus, ſanguine diſtentus, fibrillas nerveas retinae diſtrahit, et impares omnino ad impulſionem radiorum lucis ferendam reddit; haec vero ingrata ſenſatio in ſtatu naturali, contractione iridis, vel aufertur, vel multum praecavetur; ſed in hoc ſtatu, ubi partes inflammatione laborant, iris minime ſeſe contrahere poteſt; hinc radii lucidi majore copia in retinam impingunt, et ingrata ſenſatio augetur, ab hac irritatione ramus paris quinti nervorum, tertio communicans (qui nervo optico incumbit, et uveae et glandulae lachrymali diſtribuitur) in conſenſum cum caeteris ducitur, et lachrymae majore copia exprimuntur; lachrymae vero involuntariae hic loci, ab alia cauſa oriri videntur, ſciz. a velociori fluidorum motu, vel a reſolutione partium.

Rubedo oculorum, ab aucta ſanguinis velocitate oritur; hinc globuli rubri in vaſa minoris ordinis impelluntur, et vera obſtructio ab errore loci formatur, quae adeo magna aliquando devenit, ut oculum rubedine integre ſuffundere valeat. Ex diſtributione arteriae carotidis, non ſolum ad oculos, ſed etiam ad cerebrum, rationi non incongruum videtur, eaſdem obſtructiones in cerebro formatas ſupponere; hinc phrenitis, et varii ejus effectus.

Venulas vero has nigras ante mortem, febre laborantibus ſaepe obſervavi, et ex decem, ne vel unus recuperavit. Tale accidiſſe memini, homini febre in *Noſocomio* regio decumbenti, et moriebatur.

Caligo iſta rubra per quam, omnia nunc temporis aſpiciantur, oritur a diverſa refractione, quam radii lucis, per tunicas oculi inflammatas, in eorum tranſitu patiuntur; aliquando objecta, caligine alba obvolvi videntur, quae fortaſſe opacitate quadam corneae lucidae efficitur, vel tunicarum, quibus humores continen-

tinentur, vel denique humorum ipſorum: nam in omni febre acuta, major vel minor vaſculoſo generi rigiditas conciliatur; ſanguine denſiore reddito, conſumptione liquidioris partis, cauſa ſiccitatis oris, faucium, naſi et cutis haud male abſolvitur; et ut pelluciditas tunicarum oculi, praecipue corneae lucidae, a continua lachrymarum ſuffuſione, multum pendeat; patet ubi circulatio in extremis vaſculis non rite perficitur; quod opacitas ut conſequens, in humoribus ſumma cum ratione expectari poſſit, et chryſtallinus humor, qui ab ingenioſo Porterfield more vegetabilium, aqua circumnatante, nutriri exiſtimatur, opacus reddetur; unde radiorum lucis repercuſſio.

Maculae iſtae nigrae, ante phrenitidem vel delirium obſervatae, oriuntur primo, vel ab inſenſilitate quadam, filamentis retinae inducta; hinc ad impulſum radiorum lucis, ad cerebrum deferendum ineptae omnino evadunt; vel ſecundo, ab arterioſo retinae plexu, ſanguine diſtento, et acceſſionem radiorum impediente: hinc apparet, maculas iſtas nigras, interceptis radiis reſpondere, quae eo evidentiores fiunt, quo corpora candidiora ſunt, quae oculis objiciuntur; hinc regulae, quae ab Aretaeo [a] cum magna ſagacitate, de curatione phreniticorum traduntur, obſervari merentur, ſciz. "Parietes leves ſint, aequales, neque ſupereminentes, neque feſtucas "aut aliquid exertum habentes, neque picturis exornentur; "pictura enim parietum mentem turbat, nam prae oculis falſa "quaedam obverſantur, et quaedam non eminentia, tanquam "eminentia, manibus contrectant, omniſque occaſio citra cauſam manuum agitationem provocat; ſtragulae, veſtes ſint glabrae, ut ne floccos colligere in mentem veniat." Hinc appa-

[a] *De curatione morb. acut. lib.* 1. *cap.* 1.

paret primam hujus phaenomeni cauſam fere incurabilem eſſe, praecipue in febribus acutis; hinc cauſa guttae ſerenae. Secunda, curationem accipit, ſciz. larga ſanguinis miſſione, ut monuit [a] Galenus, ubi febre acuta laborabat, et audiebat amicos dicentes eum jam floccos colligere, et monuit eos immediate opem afferre, ne in phrenitidem incideret.

Symptoma autem hocce, non raro in febre nervoſa apparet; ſed de ratione ſymptomatôn hujuſce febris tractare, eſt per deſerta loca ambulare. Multa ejus ſymptomata fortaſſe oriuntur a defectu energiae mentis in corpus; unde quaedam, partis corporeae inſenſilitas inducitur; hinc fortaſſe cauſa, cur epiſpaſtica acriora, ſinapiſmi et magna vini quantitas, pulſuum numerum vix augent; tale exemplum me bis vidiſſe memini.

§ VII. In febre acuta, ſi integre auferatur viſus, vel ſi objecta duplicia videantur, cum ſumma virium debilitate, de vita fere actum eſt.

Hoc phaenomenon vel pendet a cerebro ipſo laeſo, hinc origo nervi optici, vel a ramulo arteriae carotidis (qui ſubſtantiam nervi optici penetrat) ſanguine diſtento; hinc latera nervi comprimuntur, et acceſſio cauſarum, e quibus ideae viſoriae oriuntur, ad ſenſorium, impeditur; vel oriri poteſt a magna retinae arterioſi plexus diſtentione; hinc poſitio fibrillarum nervoſarum mutatur, et penicilli radiorum lucis in partes inſenſiles incident: a quibuſdam exiſtimatur, nervoſas haſce fibrillas in eorum punctis, impreſſionem radii lucidi recipere, tantummodo capaces eſſe, et ut angulos rectos ſuperficie

e

[a] *De locis affectis, lib. 4. cap. 2. tom. 7. p. 455. Charter.*

§ 7. Hip. Aph. 49. lib. iii. Celſus, lib. ii. cap. vi. de indiciis mortis.

e qua oriuntur, afficiant, radioſque lucis ante et poſt refractionem recta linea procidentes recipiant; ſequitur ut conſequens, omnes cauſas, quae ſuperficiem plani quodammodo mutant, haſce fibrillas, angulos ut componant majores vel minores rectis, efficere poſſe; hinc angulus incidentiae radiorum ad latera, et non in punctum fibrillarum tendit; ſed inſenſilitas, ut cauſa, mihi magis arridet; cauſa vero objecta duplicia videndi, a natura vi morbi jam dilaſſata pendet; hinc motus liquidi nervoſi in organa motiva tam languidus adeſt, ut imparia ad juſſa voluntatis patranda evadant, nec ambos oculos ad unum objectum dirigant; hinc mors ſumma cum ratione exſpectari poteſt.

§ VIII. SI in febre ardente unus oculorum, altero minor ſit, ſi cornea lucida flaccida appareat, ſi oculi cavi ſint, in orbitis depreſſi, micantes, clauſi, membranula quaſi ex albo liveſcente obducti, cum magna iridis dilatatione, inſtantem mortem denunciant.

Duo prima phaenomena, explicationem non tam facile admittunt, vel oriri poſſint, ab obſtructione ramulorum arteriae carotidis, qui oculo inſerviunt: hinc ſecretionum diminutio, et oculi liquoribus minus diſtenduntur, flaccidique evadunt: vel a nervo ipſo laeſo; unde nonnulli acriter contendunt nutritionem a nervis fieri, quia in amauroſi, nervus opticus aliquando morboſus invenitur, et omnes partes largiori nervo donatae, ab eodem deſciſſo, ſemper exſiccantur, et nervi membrorum

§ VIII. Hip. coac. prænot. No. 218. p. 138. Actuar. de M. M. lib. ii. cap. iii. de ſignis, Celſus, lib. ii. cap. vi. de indiciis mortis.

rum paralyticorum ſemper affici obſervantur. Quomodocunque vero res ſe habet, vix dicere poſſum; hiſtorias duas enarrabo, quae hujus rei explicationi aliquo modo, conducere valeant.

Puer ludibundus ex alto dilapſus, caput humi percuſſit, voce privatus, per aliquot minuta jacens, paulo poſt quodammodo ad ſe rediit; in febrem incidebat, comatoſus, apertis palpebris dormiens, veſperi fixos habuit oculos, dormiturivit aliquamdiu, mane ſequenti coma duravit, oculi ejus flaccidi et exſiccati inſtar mortuorum fuerunt, paulo poſtea mortuus eſt.

Altera hiſtoria, quoad ſymptomata, non multum differt a priori, puer, nulla externa cauſa, ſubito voce privatus eſt, oculi caligine obducti; tunc viſus integra abolitio, caput verſus humerum reclinatum, membraque convulſa fuerunt, alto ſopore tentatur, pulſum fortem, et velocem, oculos fixos et flaccidos habuit, et brevi mortuus eſt. Nonne vero huc ſpectat, hiſtoria filii Antiphanis [a] Febre et Pleuritide laborantis; ceſſavit dolor lateralis et febris, quae variis temporibus rediit, et verſus ſexageſimum diem, oculus ſiniſter cum tumore ſine dolore occaecatus eſt, neque vero longe poſtea, etiam dexter, pupillaeque vehementer candidae, et ſiccae devenenerunt, nec multo poſt hanc exſiccationem mortuus eſt.

De ratione horum phaenomenôn, varia eſt diſputatio, vel oriri poſſunt a nervoſo genere, vel vaſculoſo male affecto: nec a compreſſione vaſorum ſolum oritur, quamvis enim ramus arteriae carotidis, in tranſitu ejus ad iridem comprimeretur, tamen vaſculoſae ſtellae iridis accipiunt ramum, ab arteria carotide externa, antequam ſceleroticam penetrat: hinc

E ſecretio

[a] *Hip. de morb. vulg. lib. 7. Sect. 7. p. 313. aeg. 28.*

ſecretio minime impediretur ; unde fortaſſe non male abſolvitur, ſi ſtatueremus energiam nervorum, actioni arteriarum perquam neceſſariam ; rationi enim non incongruum videtur, arterias ſuis functionibus perficiundis, ſine interventione principii ſentientis, vel mentis energiae, omnino incapaces ſupponere ; vis enim cordis, ad extremas corporis partes ſanguini propellendo ſine alia cauſa vix ſufficere valet ; nam minuitur vis cordis, ſecundum vaſorum a corde diſtantias ; praeterea frictio particularum ad ſe mutuo, et ad latera vaſorum (quae in ultimis vaſculis ſemper major) liberam circulationem, vel actionem cordis multum impedit, nec per attractionem ſolam abſolvitur circulatio, in extremis vaſculis, ſed per oſcillatorium quendam motum ; unde circulatio per eorum cava promovetur. Hinc ex dictis apparet, energiam nervorum vel actionem principii ſentientis, perquam neceſſariam eſſe, ut vaſa, propriis ſuis functionibus ſufficerent ; hac vero deficiente, paralytica evadunt, ſecretiones non rite perficiuntur, et partes nutritivae ad ſe mutuo minime applicantur ; hinc partium extenuatio.

Oculi cavi, in orbitis depreſſi, oriri videntur a magna, oleoſi pulvinaris ſub oculo, abſorptione ; magna enim adeſt in omni febre abſorptio, ut omnibus patet : hinc cauſa faciei Hippocraticae.

Depreſſio, actione muſculorum rectorum producitur, qui in ſtatu ſano minime hunc effectum efficere potuerunt ; pulvinare vero pinguedinis vi febris deſtructo, aequilibrium inter muſculos rectos, et hoc pulvinar tollitur : hinc oculi intus deprimuntur.

Oculi micantes, ab irregulari liquidi nervoſi motu oriuntur, hinc variis motibus agitantur.

Clauſi

Clauſi, a ramo arteriae carotidis, qui nunc vi febris diſtentus, tertium par nervorum, prope eorum originem comprimit, et liberum liquidi nervoſi influxum, in muſculum, palbebrae elevatorem, impedit.

Membranula quaſi obducti, naturalis oculorum ſplendor multum ab aequabili fibrarum diſtenſione pendet, et continua lymphae ſubtilis ſuffuſione, quae in ſtatu ſano, punctis lachrymalibus ſemper abſorbetur; his vero affectis, et deficiente motu palpebrarum, tenuis hicce liquor, mora et calore loci inſpiſſatur, et pellicula aciem obducit, phaenomenon in moribundis nunquam non apparens; ſignificat enim maximam virium proſtrationem, et ſemper malum omen praebet.

Magna iridis dilatatio, a ſumma corporis debilitate oritur; hinc varia organa, ſuis muneribus fungendis, inepta redduntur, et ut ſtatus relaxationis, eſt naturalis muſculorum conditio, et ad eos incitandos, impulſus mentis neceſſarius eſt; ſequitur, ubi haec organa tam debilia ſunt, et imperio voluntatis obtemperando, inepta redduntur, mortem in propinquo eſſe: ab alia cauſa relaxatio iridis evenit, ſciz. a retina ipſa affecta; ramuli enim paris tertii, et quinti, qui iridi diſtribuuntur, nervo optico ſuperincumbunt; hinc ſympathia inter hos nervos, oritur, et quando retina nimia luce afficitur, ingrata ſenſatio, his nervis communicatur, et iris contrahitur; ubi vero retina vi febris deſtruitur, (ut ſaepe evenit) fibrillae nervoſae non afficiuntur, et integra iridis relaxatio oritur, quae ſaepiſſime, poſt febrem curatam ſic manet.

§ IX. QUibus in febre acuta, oculi adſunt pulverulenti, lanugine quaſi obducti, diſtorti, ſqualidi,

§ IX. Hip. coac. praenot. N°. 218. p. 138. de morb. vulg. lib. vi. ſect. ii. p. 257. ſect. 16.

lidi, introconvoluti, palpebrae lividae, reflexae, et ſordes ad angulos, aut ſi eorum album augeatur, nigrum vero minuatur, iis propera praeſagitur mors.

Omnia haec ſymptomata, inſtantis mortis ſigna ſunt; indicant enim maximam cerebri, aliarumque partium ſiccitatem, et ſecretionum humorum, integram quaſi abolitionem.

Oculi pulverulenti, vel lanugine obducti, ſemper malum; nam a defectu motus palpebrarum, liquor, a poris corneae lucidae ſecretus, inſpiſſatur et reſiccatur; hinc ſpumas aquarum refert, pulviſque, interim aëri ſemper obvolitans, illis adhaerens, rationem hujus phaenomeni abſolvit; hinc ſqualidi quoque apparent, ob magnam ſiccitatem.

Palpebrae lividae, reflexae, &c. oriuntur a magna ſiccitate partium et ſtagnatione humorum; hinc naturalis ſplendor oculorum minuitur, et cornea lucida ſenſim albeſcit, et ſqualida apparet; unde, ſumma cum ratione mortem exſpectare poſſumus.

§ X. IN febre acuta, oculorum claritas, aut eorum album ex nigro vel livido, clarum fieri, bonum praebet ſignum.

Ex oculis, praeſagia de vita et morte deduci poſſunt; lumen vel ſplendor oculorum in morbis acutis, magni certe eſt momenti; indicant enim circulationem in ultimis vaſculis perfici, et obſtructiones reſolvi; unde judicatio eo citius exſpectari poteſt, quo oculi citius clareſcunt.

§ XI.

§ X. Aph. 10. Hip. coac. praenot. N°. 212. p. 137. de dieb. judic. p. 25. ſect. 11. N°. 10.

§ XI. ERumpentes, circa oculos, eminentiae, dum aegri ex morbo recreantur, prorumpentis alvi ſpem faciunt.

Hujus rei eventum, clare diſtinċteque pronunciare, me vix poſſe, fateor; obſcuritas quaedam hic loci, occurrit; ἐπανάστασις, vel per eruptiones circa oculos, veluti puſtulas, vel per tumorem aquoſum explanari poteſt; unde Galeniſtae, fluxionem a cerebro ad inteſtina expectabant; ſed veritas hujus praeſagii, experientia confirmari relinquatur.

§ XII. QUibus oculi ſanguinolenti, igneis ſplendoribus illuminati, fixi, et rectus eorum obtutus, invite lachrymantes, grumis oppleti, vel inordinate moventes; ſi res oblatae viſui geminae videantur, phrenitis indicatur.

Omnia haec ſymptomata, a velociori ſanguinis curſu oriri videntur, et praecipue a majore quantitate verſus cerebrum allata; ſi enim haec ſigna, ſine ulla febre praecurrente appareant, phrenitis indicatur, qui morbus inſulis *Archipelagi*, et per totam *Graeciam* maxime frequens eſt; in *AEgypto* multo magis lethalis evadit. *Alexandriae* [a] et *Cayro*, epidemice graſſatur, et ſpatio trium horarum miſerum e medio tollit; cauſa ſaevioris hujuſce morbi naturae, in urbibus praedictis oritur, a continua venti *Auſtrini* perflatione a palude *Mariotide*, unde

F ve-

§. XI. Aph. ii. Hip. coac. praenot. ſect. ii. p. 140. No. 220.

§ XII. Hip. coac. praenot. No. 163. p. 129. ſect. xi. p. 140. No. 227. de morb. vulg. lib. iii. ſect. v. p. 48. Alex. Tralian. lib. i. cap. xiii. Paul. AEginet. lib. iii. cap. vi. Senert. pract. pars. ii. lib. i. cap. viii.

[a] *Proſper. Alpin. de medicin. AEgypt. lib. 1. cap. 14. p. 52.*

veneniferis exhalationibus inquinatur; praeterea annua inundatio fluminis *Nili*, ad hunc morbum producendum, conducere videtur; incolae enim, aquam hancce coenoſam, ſubterraneis cavitatibus accipiunt, quae circa finem aeſtatis integre conſumitur, parte coenoſa ſuperſtite, quae calore corrumpitur, et aërem noxiis vaporibus implet; unde varii morbi, circa hoc tempus, uti phrenitis, peſtis, febres malignae, &c. homines vero huic morbo ſubjecti ſunt, qui meridionali ſoli incaute ſeſe committunt. Maxima iis adeſt rubedo, a vaſis oculi ſanguine ſuffuſis, hinc cum arteria carotis interna, et oculis, et cerebro, diſtribuatur, facile apparet, internas capitis partes, eodem malo affici.

Oculi fixi et rectus eorum obtutus, ſignificant cerebrum, vel nervorum originem laeſam; involuntariae lachrymae jam explanatae fuerunt.

Oculi crebro moventes, indicant ſummam ſenſorii perturbationem, et phrenitidem jam inſtantem oſtendunt.

Si res oblatae viſui, geminae videantur; credo quod hoc phaenomenon raro occurrit, tamen oriri poteſt, a cerebro ſanguine adeo diſtento, ut liber influxus nervoſi liquidi impediatur; hinc ambo oculi ad unum objectum, minime diriguntur.

§ XIII. SI in hoc morbo floccos carpant, et feſtucas legant, et oculi ſint pulverulenti, ſqualidi, foras quaſi protruſi, aurigine tincti, flammei, cum vultu

§ XIII. Paul. AEgin. lib. iii. cap. vi. River. prax. med. lib. i. cap. xi. p. 26. Hip. de morb. vulg. ſect. vi. No. 19. p. 258. Ibid. lib. v. aeger v. ſect. vii. p. 233. aeger xv. p. 203. aeger xi. lib. iv. p. 165. Paul AEgin. cap. vi. Alex. Tralian. lib. i. cap. xiii. Lom. obſ. med. lib. ii. p. 67. edit. Amſtel.

vultu ſuperciliosſo, vel ſi adſit oculorum perverſio, vel inſolita mobilitas, cum ſumma debilitate, pro peſſimo omine ſemper habetur.

Floccos et feſtucas legere, in hoc morbo, ut etiam in omni alio acuto, pro lethali praeſagio ſemper habetur; ſignificat enim ſummam in ſenſorio perturbationem, quae a magna arteriarum retinae diſtenſione oritur: hinc nonnullae ejus fibrillae comprimuntur, et falſa rerum repraeſentamina ſenſorio afferuntur: hinc manus continuo haec falſa objecta contrectant; falſae vero corpuſculorum ideae in mente ſemel ortae, longo tempore durant; hinc etiam clauſis palpebris, vel in tenebris haſce feſtucas colligunt, et omnes ideae, quae, morbo incipiente, in mente ortae fuerunt, ſaepiſſime per totum morbi decurſum permanent, ut Lucianus narrat ex *Abderitis*; redeuntes a tragoedia multi phrenitici evadebant, et per totum morbum tragoedias agebant, et Jambos recitabant.

Oculi pulverulenti, &c. Ubi tales oculi in phrenitide conſpiciuntur, merito ſane concludimus cerebrum eodem modo affici, cum cerebrum et oculi iiſdem arteriis irrorentur; ubi ultimae hae partes, adeo ſanguine diſtenduntur, docent magnam velocitatem ſanguinis verſus caput, et majorem harum arteriarum diſtenſionem; hinc vaſa lateralia comprimuntur, et tenuiores ſecretiones non perficiuntur; hinc ſumma totius cerebri ſiccitas, oculi interim tenui latice, non amplius irrorati, ſqualidi deveniunt, et a ſanguinis quantitate, foras protruduntur. Oculi pulverulenti jam explanati fuerunt.

Aurigine tincti, &c. Malum in hoc morbo praebent omen, et oriuntur fortaſſe a ſanguine bile ſuffuſo; phrenitis e-

nim

nim ex bile orta, vel ex bilioſa temperie, magis lethalis eſt, ob humorum acrimoniam, tenera enim encephali vaſa irritat; hinc inſania plerumque effectus eſt. Ductus choledochi in hoc morbo aliquando obſtruuntur; unde alvus ſuppreſſa, et faeces albae, quas HIPPOCRATES [a] hic loci inter lethalia ſigna enumeravit, ut etiam in aliis morbis acutis; bile interim in ſanguinem impulſa, totam maſſam ſua acrimonia inquinat, et ad cerebrum allata, inflammationem inducit, morbumque nimis lethalem, ſaeviorem reddit, praecipue ſi urina ſupprimatur.

Vultus ſuperciliofus, oculi perverſi, &c. oriuntur a magna vi morbi, et inſtantem inſaniam vel mortem portendunt, et magnus capitis dolor, qui in phrenitide ſemper adeſt, ad haec producenda multum conducit; in omni enim dolore ad partem affectam, magna eſt humorum fluxio, hinc vaſorum continua diſtenſio, donec tandem rumpantur. Poſt evacuationes largas, ſi dolor non ceſſat, epiſpaſtica ſummi ſunt uſus, ſuoſque effectus edere videntur, non quatenus humorum copiam minuant, ſed ut intentionem mentis a parte affecta avertant, ſecundum divini HIPPOCRATIS [b] ſententiam, "duobus doloribus "ſimul obortis, non in eodem loco, major alterum obſcurat."

§ XIV. IN febre intermittente, pallor canthi oculorum, & oculi caligine offuſi, inſtantem paroxyſmum denotant.

Haec phaenomena, minori ſanguinis motui per vaſa capillaria, origines ſuas debent; nam rubedo omnium corporis partium, a vaſis pellucidis ſanguine rubro diſtentis pendet; hinc ſtatum

[a] *Porrhet. lib.* 1. No. 13. *p.* 47. *Coac. praenot. ſect.* 11. No. 602, 615.
[b] *Aph.* 46. *Sect.* 2.

ſtatum ſanguinis per ea tranſeuntis facile cognoſcere poſſumus; (in debili enim virgine, chloroſi laborante, quam pallida evadunt labia!) hinc obſtructio circa capillaria oritur, ſed a qua cauſa, obſtructio haecce pendeat, medici haud ſatis compertum habent.

Oculi caligine offuſi, oriuntur fortaſſe a genere nervoſo affecto, vel a minore liquidi ejuſdem quantitate, hoc tempore ſecreta; unde quaedam inſenſilitas nervo optico inducitur.

Ex dictis, nonnulla oriuntur quaeſita:

An morbus hicce in ſolidis, vel in fluidis?

Nonne in ſyſtemate nervoſo?

Quomodo febris intermittens ſuperveniens paralyſi, morbum ſolvat?

Quomodo accidit febris interrmittens, exiſtente ptyaliſmo mercuriali?

§ XV. IN febre intermittente, oculi vertiginoſi, caligantes, cum capitis gravitate, ventriculi morſu, &c. materiae bilioſae vomitionem indicant.

Omnium horum phaenomenôn cauſae, in commentariis ad aph. 4. enumeratae fuerunt, nec neceſſe eſt eas nunc recordare.

§ XVI. OCuli cavi, in tertiana, malum.

Oſtendunt enim, ſummam virium proſtrationem, et conſumptionem humorum; in hoc autem febrium genere, bilis majojore copia abundat, et ſanguini illata, eundem, magna ſua

G acri-

§ XV. Lom. obſerv. medicin. p. 38.
§ XVI. Senert. de febrib. lib. ii. cap. xviii. p. 767.

acrimonia inquinat, et ſi vomitus porraceae, aeruginoſae, vel vitellinae bilis, accedat, haud bonum, praecipue, ſi animi adſint deliquia, tenebricoſa vertigine praecedente.

§ XVII. SI angina inflammatoria detento, oculi adſint intenſe rubri, prominentes, fixi, pulvere quaſi obſiti, exerti, vel cavi, aegre videntes, cum angulis ſubnigris, malum ſemper denunciant.

In angina violenta, ſi non ſolum aſperae arteriae interna pars, ſed larynx, muſculi, elevando os hyoidem et laryngem inſervientes, pharynx etiam, cum tonſillis, uvula, velo membranoſo pendulo palatino, omnibuſque ejus muſculis, afficiantur, in ſummo certe luctamine aeger verſatur ; haec enim phaenomena, ſummum impedimentum cruoris a cerebro redeuntis oſtendunt ; pulmones enim ob magnum dolorem, et tumorem haud amplius aëre diſtendi poſſunt, tranſituſque ſanguinis, per eorum cava impeditur, qui jam in magnae arteriae pulmonalis trunco, et corde dextro accumulatur, et ſinus venoſus dexter, auriculaque, et vena cava, omneſque ejus rami ſanguine turgent ; hinc jugulares, venoſum ſuum ſanguinem minime evacuare poſſunt. Sinus cerebri ſanguine diſtenduntur, mollis encephali pulpa comprimitur ; hinc laeſa ejus functionum actio, acceſſio energiae mentis ad partes impeditur, et defectus viſûs, auditus, &c.

Jugularibus interim externis, a tumore fortaſſe compreſſis, ſanguis in eorum ramis accumulatur, facies, oculique tument, et foras protruſi, apparent.

Fixi,

§ XVII. Hip. de morb. lib. iii. Sect. 5. p. 48. 49. Aretaeus de cauſ. et ſign. morb. lib. i. cap. vii. Celſus, lib. iv. cap. iv. Lom. obſ. med. lib. 1. p. 100. Senert. lib. xxiv. cap. de Angina, Tom. ii.

Fixi, pulvere quaſi obſiti, exerti, vel cavi, aegre videntes, magnae copiae ſanguinis diſtendentis originem debent; hinc omnia vaſa minora comprimuntur, et tenui lympha non amplius irrorata, ſicca deveniunt; apertis enim palpebris ſemper jacentes, a pulvere volitante inquinantur, vel fortaſſe humor, a poris corneae lucidae evacuatus, calore et ſiccitate in pulverem redactus, idem ſymptoma praebet.

Aegre videntes, vel ob rigiditatem muſculorum oculos moventium; unde ad objecta minime converti poſſunt, vel denique a ramulo arteriae carotidis, nervum opticum comprimente.

Anguli ſubnigri, malum praebent omen, et ſignificant ſummam ſanguinis ſtagnationem in extremis vaſculis.

Oculi cavi, praecipue ſubito diſparente tumore, inſtantem mortem ſignificant; hinc ex dictis apparet, phlebotomiam in jugularibus inſtitutam, multum in hoc morbo boni praebere, non quatenus tumorem, ſed ut cerebrum jam nimis compreſſum alleviet.

§ XVIII. PEripneumonia laboranti, intenſa rubedo oculorum, prominentia, album nitidiſſimum, oculi crebris lachrymis irrorati, vel tenui pellicula, pingue fere referente, obducti, malum portendunt.

Omnia haec phaenomena vix multum differunt a jam enarratis: album nitidiſſimum, tenui pellicula, pingue fere referenti, ab

§ XVIII. Aretaeus de cauſ. et ſign. morb. acut. lib. ii. cap. ii. Paul. AEginet. River. prax. med. lib. vii. cap. iii. de peripn. Lom. obſ. med. p. 115.

ab Aretaeo loco citato memoratur, et per haec intellex iſſe videtur non albiſſimum nitorem, vel albedinem naturalem, ſed tenuem iſtam pelliculam; quae in moribundis ſaepiſſime apparet.

Nitidiſſima, potius ſplendens albedo ob copioſam lachrymarum diſtillationem, magnam ſanguinis circulantis obſtructionem oſtendit, et malum certiſſime praeſagit.

§ XIX. IN morbo laterali, ſi oculi rubri, inflammati, et foras protruſi, appareant, inſtantis peripneumoniae, non leve praeſagium praebent.

Peripneumonia, in hoc caſu fere ſemper lethalis; ob magnum enim dolorem miſerrimus aeger, thoracem minime dilatare poteſt; hinc ſtagnat ſanguis in vaſis pulmonalibus, et iidem effectus, ac in violenta angina producuntur; hinc ex peripneumonia, et non pleuritide moritur.

§ XX. SI in morbo laterali, oculi rubro flaveſcenti colore tincti ſint, vel pulverulenti, caligine obducti, cavi, vel ſi crebro moveantur, vel fixi cum vultu ſupercilioſo, vel demiſſo, cum ſiccitate corneae lucidae, iis mors exſpectanda.

Symptomata haecce enumerata, magna acrimonia ſanguinem inquinatum oſtendunt; nam ut pleuritis oriri poteſt, a metaſtaſi materiae purulentae ichoroſae ad has partes, et ubi oculi ſic ſe habent, de vita fere actum eſt. Omnia haec ſymptomata inſtantem gangraenam, mortemque ipſam oſtendunt, praecipue ſi

§ XX. Hip. coac. praenot. N°. 388. p. 166. ſect. ii. de morb. vulg. lib. vii.

ſi aliis mortiferis ſignis adjuncta ſint, ſciz. ſputo purulento, ichoroſo, coenoſo male olenti, pulſuque debili, intermittenti; ſi ſubito dolor ceſſet, et dejectiones foetidae adſint, vel ſi ſanguis emiſſus, ſolutus, et cruſta imflamatoria inquinatus, non amplius appareat; ex hiſce enim, ſanguinem multa acrimonia imbutum eſſe, facile conjecturam facimus; hinc functiones cerebri turbantur, convulſiones, delirium, et mors inducuntur.

Siccitas, corneae lucidae, cum defectu viſus, oriri videntur a nervo optico et cerebro laeſis, ut accidit Antiphani filio, [a] qui poſt hanc ſiccitatem cito moriebatur.

§ XXI. SI in morbo laterali, vel pulmonis inflammatione, oculi cavi ſint, ſuppuratio indicatur, ſi in hoc caſu, oculi aurigine tincti ſint, futura tabes indicatur.

Haec phaenomena, ſuppurationem jam inceptam oſtendunt; febre enim mitiori reddita, vel ceſſante, partes non adeo diſtenduntur; hinc cavi apparent, nam a febre praeterita, magna erat humorum abſorptio: hinc ſumma totius corporis extenuatio.

Oculi aurigine tincti, docent pus abſorptum in ſanguinem; hinc non immerito tabes exſpectatur.

H § XXII.

[a] *Hip. de morb. vulg. lib. 7. p.* 313. N°. 28.

§ XXI. Hip. coac. praenot. p. 170. ſect. N°. 402. progn. ſect. ii. p. 9. N°. 40. de locis in homine, ſect. iv. p. 86. N°. 59. Celſus lib. iii. cap. vii. p. 66. edit. Elzev. L. B.

§ XXII. MOrbus regius, vel icterus, cognoſcitur plerumque ex colore oculorum luteo; ſi vero objecta lutea videantur, ſanguinem multa bile inquinatum eſſe, indicant.

Bilioſae particulae ſanguini immiſtae, non ſolum totam ſanguinis maſſam ſuo colore luteo inquinant, ſed etiam attenuant et diſſolvunt; hinc rubedinis diminutio; creſcit enim color ſanguinis pro denſitate particularum: ubi vero ſanguis multa bile ſuffunditur, omnes humores oculorum inquinantur, et objecta luteo colore obvoluta cernuntur.

§ XXIII. IN violenta hepatis inflammatione, oculi ex rubro flaveſcentes, inordinate moventes, tenui pellicula obducti, vel immobiles, et cavi, malum omen praebent.

In nulla parte corporis invenitur ſanguis, in naturam putridam citius degenerare proclivis, quam in hepate; nam ut bilis eſt humor multa acrimonia gaudens, patet, quo majore copia in quavis parte bilis exiſtat, eo ſuppurationem, in hac parte magis lethalem fore; ſitus quippe hepatis, ubi chirurgica operatio difficile inſtituitur, abſentia tunicae cellularis, et longa mora, ad pus acrius reddendum, conducunt; hinc in ſanguinem abſorptum, ſuas tragoedias agit, et febrem, propria acrimonia accendit, totamque maſſam diſſolvit; ſanguis purulentus

§ 22. Celſus, lib. iii. cap xxiv. de morb. regio. River.
§ 23. Alex. Tralian. lib. viii. cap. xii.

tus evadit, et cutanea vaſcula, flaveſcente calore, tingit; tenera vero ſubſtantia cerebri irritatur; hinc irregularis omnium functionum actio, convulſiones, &c. origines nervorum afficiuntur; unde ſenſuum defectus, natura penitus ſuperata, corpus, haud amplius incitatur; humores ſtagnant; humor oculorum inſpiſſatur, et pellicula formatur.

§ XXIV. QUi tumidum habent lienem, ii, partes, quae ſub oculis ſunt, vehementer ſublatas habent.

Homines qui cachexia laborant, has partes tumidas, et cineritio calore inquinatas habent; in hiſce, non ſolum lien, ſed multa alia viſcera, abdominalia, tumida, et ſchirroſa ſaepe inveniuntur; ſana enim conditio horum viſcerum, ad digeſtionem rite perficiundam maxime neceſſaria eſt; et ab iis male affectis, chylus crudus evadit, et ſanguis bonus haud paratur; a liene vero tumido, ſanguis qui ex hoc viſcere ad hepar fluit, ſuo muneri fungendo, ineptus efficitur: liquidior, et fortaſſe ditior ejus pars in nutriendo liene conſumitur: unde bilis iners evadit; praeterea ad reliqua viſcera major quantitas ſanguinis emittitur, unde debiliora deveniunt: effectus vero, qui ex his ſequuntur, omnibus patent, viſciditas, vel inertia caeteris fluidis conciliatur, debilitas ſolidis inducitur, et cavitates ſublatae ſunt.

§ XXV. IN morbis acutis vel inflammatoriis, ventriculi viſcerum abdominalium, in eorum vulneribus oculi caligine obducti, fixi, intus voluti, vel cre-

§ 24. Hip. praedict. pag. 92.
§ 25 Alex. Tral. lib. viii. cap. xii.

crebro moventes, aurigine tincti, tenui pellicula velati, ſqualidi, ex viridi palleſcentes, concavi, vel ſplendidi, ſi viſus hebeat, et iris multum dilatata ſit, malum.

Omnia haec phaenomena, a magno iſto nervorum conſenſu, qui inter viſcera abdominalia, et cerebrum obſervatur, ſuas origines ducunt; nervos eſſe inſtrumenta, quibus cauſae idearum, objectorum, ſenſorio afferuntur, omnes in re anatomica verſati, ſatis compertum habent; hinc varia animi pathemata, pro diverſo affectionis gradu, *gaudium*, *dolor*, &c. ſed ut hae partes ditioribus nervis gaudeant, effectus vulnerum, vel inflammationum, in hiſce partibus magis lethalis erit, quam in aliis; hinc convulſiones, et defectus viſus, ab inſenſilitate quadam nervo optico inducta; ita enim turbatur cerebrum, ut liquidum nervoſum non amplius ſecernatur; hinc paralyſis partium, et iridis dilatatio, cum morte. De omnibus aliis ſymptomatibus, in commentario ad § 20. ante tractavimus; et magnae inflammationi, vel gangraenae, ſuas origines debent. Apud Hippocratem, diverſae hiſtoriae ad hanc rem confirmandam occurrunt; Enniates [a] in *Delo*, a jaculo in ſiniſtrum latus percuſſus erat; quarto die, bilioſa affatim ſincera vomitione rejecit, oculi, quales animo deficientibus; poſt quintum mortuus eſt.

[b] Quidam ex vulnere in jecur, cadaveroſo colore affuſus erat, oculi concavi extiterunt, mortuus erat antequam concio demitteretur.

[c] Neapolis ex ventriculo vulnerato, oculos habuit ſqualidos, ſplendidos, intus revolutos, et defixos.

§ XXVI.

[a] *De morb. lib.* 5. *p.* 247. No. 60.
[b] *Ibid.* No 61. *p.* 248.
[c] *Idem, page* 254. No. 99.

§ XXVI. CHolera laboranti, oculi caligine obducti, fixi, cavi, ſqualidi, pulverulenti, malum denunciant.

In hoc morbo tam violenter afficitur genus nervoſum, et tam ſaeva adſunt ſymptomata, ut nil mirum, hiſce ſignis apparentibus, ſi mors indicetur; a magna enim irritatione et acrimonia, inflammatio ſaepe inducitur, quae non raro in gangraenam tendit, a ſumma quoque debilitate multa horum phaenomenôn explanari poſſunt, et a ſympathia nervorum, viſus in hoc morbo ſaepiſſime obfuſcatur.

§ XXVII. FEbre detento, variolis epidemice graſſantibus, ante tertium diem, oculi prurientes, dolentes, involuntariis lachrymis irrorati, micantes, rubentes, futuram variolarum eruptionem indicant.

Haec ſymptomata oriuntur ab acrimonia ſanguinis: hinc tenera vaſa irritantur, et pruritus, vel dolor, ſecundum gradum irritationis devenit. Velocitas vero ſanguinis ab hac acrimonia aucta, major quantitas, glandulis innominatis, emittitur, hinc lachrymarum aucta ſecretio, et ſplendor oculorum; ut in hoc febrium genere, materiae morbificae major adſit copia, quam in aliis; ſic natura per abſceſſus criſin efficere molitur; ab imperfecta vero tali criſi, diriſſima ſymptomata efficiuntur, praeſagia quorum, in ſequente § memorantur.

§ XXVI. Hippocrat. de morb. vulg. lib. v p. 235. No. 10.
§ XXVII. Boerh. aph. § 1383. p. 347. ed. L. B. River. prax. med. lib. xviii. cap. ii. Rhaz. Sennert. de febrib. lib. iv. cap. xii.

§ XXVIII. VAriolis laboranti, oculi ſplendidi, inordinati in orbitis rotantes, vaſculis rubris inquinati, interna eorum pars, igneo rubore ſuffuſa, et ſi floccos colligant, delirium portenditur.

Ab imperfecta criſi, vel materiae varioloſae in ſanguinem reſorptione, violenti effectus, et febris peſſimi moris producuntur; materia hacce ad cerebrum allata, magna ejus acrimonia delirium producit. Cor, varioloſo pure ſtimulatum, fortius ſeſe contrahit, et magna velocitate ſanguinem propellit, plexus arterioſus retinae, ſanguine diſtentus, hanc rubedinem fortaſſe efficit, et docet arterias cerebri eodem modo affici, unde *phrenitis* vel delirium expectatur, ſi floccos colligant, malum ſignum eſt, indicat phrenitidem jam inſtare.

§ XXIX. QUibus in vomica, phthiſi pulmonali, vel empyemate, oculi ſunt concavi, lucidi, micantes, vel aurigine tincti, cum albiſſimis corneis, et vultu demiſſo, malum denunciant.

Ubi de phaenomenis oculorum in inflammatione hepatis ad § 23. egimus, multa quae hic enumerantur, memorata fuerunt, et oriri videntur, a ſanguine purulenta materia inquinato: hinc febris hectica accenditur, quae ſenſim totum corpus depaſcit, unde cavitas, et malus oculorum color, nam per vaſa pellucida ſtatus ſanguinis facile indicatur; qui nunc vix rubeſcit,

§ XXVIII. Hillarius de variolis, p. 52.
§ XXIX Hip. coac. praenot. No. 338. p. 166. No. 402. p. 170. edit. Foeſ. Aretaeus de ſign. et cauſ. morb. diuturn. lib. 1. cap. viii. et cap. x. Lom. ob. med. lib. ii. p. 133. Senert. prax. lib. ii. cap. xix. p. 325. edit. Lug.

rubeſcit, ſed integre ſolutus evadit; hinc facilius per vaſa lateralia fluit, et lachrymae majori copia ſecernuntur; ab hac quoque pendent ſudores colliquativi, qui miſerrimum aegrum ad pellem et oſſa uſque redigunt, donec placide e vita migrat.

Vultus demiſſus ſummam virium proſtrationem indicat; et oritur a magna ſanguinis inquinatione; unde impar evadit corpori nutriendo; praeterea faciem Hippocraticam oſtendit.

§ XXX. OCuli rubedine ſuffuſi, turgidi, lachrymoſi, caligine obducti, fixi, vel perverſi, vertiginoſi, cum aſpectu triſtiſſimo, & rerum remotarum viſione amiſſa, ſplendores incerti & diſcurrentes, vel tenebrae oculis offuſae, apoplexiam praeſagiunt.

Si ſanguis vel materia quaevis aliena in cerebro obſtruatur, vel colligatur, haec phaenomena produci facile conjicimus: hinc majori copia ad alias partes emittitur, oculi turgidi apparent, et frequentioribus lachrymis irrorantur; ob magnamque diſtentionem, Rigidi et fixi, deveniunt. Nervoſarum fibrillarum retinae compreſſio, Viſus hebetudinis cauſam explicat; compreſſo vero nervo optico, idem effectus producitur.

Rerum remotarum viſus amiſſus, pendet a ſpaſmo ligamenti ciliaris: hinc humor chryſtallinus, ad majorem a retina diſtan-

§ XXX. Hip. coac. praenot. No. 161. p. 128. Paul. AEgenet. lib. iii. cap. xviii. Wepfer. hiſtor. apoplect. hiſt. xv. Ann. Fabr. Lign. uxor. p. 569. Obſ. 49. Carol. Piſo, de colluv. ſeroſ. hiſtor. Deſid. Philib. Archiatr. cap. v. p. 104. Edit. L. B. Senert. pract. lib. 1. pars ii. c. xxii. River. prax. M. lib. viii. p. 7.

diſtantiam, removetur, et radii lucis in punctum, antequam ad retinam deveniant, colliguntur, unde nihil aliud niſi confuſa macula, radiis ex aliis corporibus vergentibus commixta, in retinam formatur.

Splendores, &c. Refractio fortaſſe radiorum lucis a diverſa figura, vel ſitu humorum oculi, ad hos producendos conducit, et magna ſanguinis quantitate, inſenſilitas quaedam retinae inducitur, hinc tenebrae; cauſis igitur horum ſignorum rite perpenſis, apoplexiam facile praeſagire poſſumus.

§ XXXI. EPilepticis, oculi, ſplendoribus purpureis, nigris, et aliis variis coloribus in orbem rotatis, obverſati, caligantes, rectus eorum obtutus, vel inordinate moventes, inſtantem paroxyſmum denotant.

Irregularis liquidi nervoſi influxus, qui in hoc morbo ſemper adeſt, haec phaenomena facile producere poteſt: hinc muſculi oculos moventes, variis agitantur convulſionibus, et inordinatus motus oculorum producitur; ſpaſmo detenti, fixos pariunt oculos. De coloribus, vid. § 30. Haec vero phaenomena cum convulſionibus in aliis partibus paroxyſmum inſtantem evidenter denotant. Ad curationem vero hujus morbi, multum certe conducet, ejus ſedem cognoſcere: huc ſpectat ſequens aphoriſmus.

§ XXXII.

§ XXXI River. prax. med. lib. i. c. vii. Aretaeus de cauſ. et ſign. m. acut. l. i. c. v. Alexr. Trallian, lib. i. cap. xv.

§ XXXII. EPilepticorum viſus, abolitio, vel obſcuratio, oculi inordinate moventes, antequam alia ſymptomata appareant, ſedem morbi in caput eſſe, ſignificant.

An haec ſymptomata efficiuntur a nervo optico laeſo, vel cerebro, vix dicere poſſum; ab inſenſilitate nervi optici, vel fibrillarum retinae, oriantur; vel ſenſorium ita afficiatur, ut ad ideas viſorias accipiendas, eaſque in illum ordinem redigendas, (ut vera rerum harmonia formetur) incapax fiat. A quacunque vero cauſa pendet, ſi haec phaenomena, antequam aliae partes afficiuntur, appareant, patet, cerebrum primario eſſe affectum.

§ XXIII. OCuli ferme rigentes, cum viſus hebetatione, et animi deliquio, inſtantem convulſionem peraeſagiunt.

Nil mirum, ſi ab hiſce ſymptomatibus convulſio exſpectetur; docent enim ſummam ſenſorii perturbationem, unde irregularis liquidi nervoſi influxus efficitur; et Carolus Piso in hiſtoria *Nobilis Monialis*, quae eodem modo afficiebatur, cauſam horum ſymptomaôn cerebro ineſſe exiſtimavit.

K § XXXIV.

XXXII. Alex. Trall. lib. i.cap. xv. Carol. Piſo de coll. ſeroſ. p. 117. ob. 24. de nobili Moniali.

§ XXXIII. Hip. coac. praenot. N°. 226, 257. praedict. lib. 1. N°. 113. de morb. vulgar. lib. 5. N°. 23. p. 140. Aretaeus de cauſ. et ſig. morb. Carol Piſo de coll. ſeroſ. p. 121. obſ. xxvi. de nob. Monial.

§ XXXIV. IN paralyſi, pupilla oculi, vel multum relaxata, vel nimis contracta, oculi fixi, rigentes, palpebrae continuo apertae, conniventes, ſignificant primario affectum cerebrum.

De cauſa horum ſymptomatôn, vix multa dicenda, omnibus quippe patet, cerebro exiſtere.

§ XXXV. QUibus cane rabido morſis, oculi adſint inſtabiles, turgidi, crebris lachrymis irrorati, micantes, vel ſplendentes, inſtans rabies praeſagitur.

Venenatae particulae, quae hac via in ſanguinem aſſumuntur, miram habent qualitatem, omnes noſtros humores, in ſuam naturam aſſimilandi; a velociori ſanguinis motu, qui ſemper in hoc morbo adeſt, cauſa rubedinis oculorum explicatur; et ſi majore tunc temporis acrimonia gaudeat, convulſiones facile inducuntur; praeterea magna ſenſorii perturbatio ad has producendas multum conducit; hinc motus oculorum, et lachrymarum aucta ſecretio.

In *Gallia*, anno elapſo, multi infortunate hoc morbo affecti fuere, ſicut ad me teſtantur epiſtolae ingenioſi Le Cat, ob induſtriam in re anatomica promovenda, merito laudandi, qui, inveſtigationis cauſa, multos ex hoc morbo defunctos cultro anatomico ſubjecit, et maculas nigras gangraenoſas ubique per ſtomachum et inteſtina diſſeminatas invenit, quas, glandulas, vocavit; et ut glandulae in ejus opinione, tantummodo ſunt nervorum expanſiones, concludebat, ſedem mali nervis ineſſe.

§ XXXVI.

§ XXXIV. Aretaeus de cauſ. et ſignis morb. acut. c. vii. Alex. Trall. lib. i. c. xvi. Lomm. obſ. M. p. 84.

§ XXXVI. SI oculi tumidi ſint, intente aſpicientes, cum viſus hebetudine, vel defectu, et ſi objecta duplicia videantur, hydrocephalus indicatur.

Nulla pars corporis invenitur, quae non hydropi ſubjecta ſit, tunica cellularis in immenſam molem ſaepe diſtenditur: hinc tumor oculorum, qui in anaſarca, malum; ſuperiores enim partes, ut a centro gravitatis magis remotae, ſic ſerius afficiuntur, et ſignificant univerſalem morbi exiſtentiam; tunicae vero cellulari hicce morbus non peculiaris eſt, cavitates enim corporis, ut thorax, abdomen, pericardium, et cerebri ventriculi huic ſubjecti ſunt; ubi vero hi afficiuntur, varia et gravia ſymptomata producuntur; et epilepſiam ab hac vidi.

Oculi caligine ſaepe obducuntur, et viſus aboletur, ob compreſſionem in originem nervorum opticorum: hinc quoque nervi, motores oculorum, comprimuntur, et ambo oculi ad unum objectum non moventur, unde objecta duplicia videntur: in hoc caſu, curatio vix perfici poteſt, nam vaſcula a continua maceratione adeo debilitantur, ut vix tonum ſuum recuperare poſſint. Memini vero me ſemel vidiſſe hominem in Noſocomio regio, JOHANNEM BRUCE dictum, hydrope laborantem, cui nulla erat pars corporis, quae non affecta fuit, nulla cavitas, quae non aqua plena fuit, oculi ejus caligine obducti fuerunt, objecta duplicia vidit, occaecatus fuit, et violento epilepſiae paroxyſmo tandem tentatus; ſumma vero Optimi Medicorum ſagacitate, (quem ad extremum uſque diem grato animo recordabor, multa enim illi debeo) recuperavit, et vivit adhuc.

FINIS.